

in omnibus istis magnanimitas necessaria sit, et quaedam fortitudo mentis, plerumque et corporis, ut quis quod velit, possit implere.

PRIMUM QUOD PHILOSOPHI DICUNT, ET SECUNDUM JUSTITIAE MUNUS,
APUD NOS EXCLUDI: TERTIUM VERO A NOSTRIS MUTUATUM.

Justitia igitur ad societatem generis humani, et ad communitatem refertur. Societatis enim ratio dividitur in duas partes, justitiam et beneficentiam, quam eandem liberalitatem et benignitatem vocant. Justitia mihi excelsior videtur, liberalitas gratior: illa censuram tenet, ista bonitatem. Sed primum ipsum, quod putant philosophi justitiae munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi eam primam esse justitiae formam, ut nemini quis noceat, nisi lacessitus injuria. Quod Evangelii auctoritate vacuatur. Vult enim Scriptura, ut sit in nobis spiritus Filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre injuriam.¹⁾ Deinde formam justitiae putaverunt, ut quis communia, id est, publica pro publicis, privata pro suis. Nec hoc quidem secundum naturam. Natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, et terra foret omnium quaedam communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum. Quo in loco ajunt placuisse Stoicis, quae in terris gignantur, omnia ad usus hominum creari: homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis prodesse possint. Unde hoc, nisi de nostris Scripturis dicendum assumpserunt? Moyses enim scripsit, quia dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram, et habeat potestatem piscium maris, et volatilium coeli, et pecorum, et omnium reptantium super terram.²⁾ Et David ait: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres

1) Luc. 9. 2) Gen. 2.